

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Sapiencia uel sciencia at  
cum uariis

Cum sapiencia nostris temporibus nullius fructus premietur stipendiis, nullius fame eam fauoris aura extollat, ipsa uero pecunia honoris titulos et laudis emat preconia. Sola tamen sapiencia super omnem possessionem preeminet. Generosa possessio que sparsa colligitur, erogata reuertitur, publicata suscipit incrementum per quam nobilis sciencie thesaurus secretis penetralibus mentis innascitur, fructus interne delectacionis acquiritur. Hec est sol per quem mentis lumen diescit in tenebris, cordis oculus, deliciosa animi paradysus; hec in celeste terrenum, in immortale caducum, hominem in Deum, deifice mutacionis auctoritate conuertit.

Alanus de complanctu nature.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

laudis] laudit P V<sup>1</sup>; sola] nulla M; preeminet] preminet P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup>; sparsa] spersa V<sup>1</sup>; sciencie] consciencie B M P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; deliciosa] deliciosus L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>